



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Auctoris Ad Augustinenses Theologicis Disciplinis Formandos Παράινεσις.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

AUCTORIS
AD
AUGUSTINENSES

Theologicis Disciplinis

Formandos

Π Α Ρ Α Ι Ν Ε Σ Ι Σ.



Irari vos credo, Juvenes ornatissimi, unde fit, quod præ cæteris Studiorum nostrorum Moderatoribus, qui & ingenii acumine, & delectu orationis, & humanarum divinarumque rerum cognitione præpol-
lent, ego potissimum Theologicas Disciplinas nova quadam methodo exornatas ante conspectum vestrum exhibeam, hac præsertim ætate ob literarum cultum splendoremque vere aurea, in tanta optimorum librorum copia, ex amplissima autem MAGNI AUGUSTINI familia, in qua & omnium minimum me esse cognosco, & innumeros plane video huic implendo muneri idoneos, necnon doctrinæ laude nominisque celebritate clarissimos. Quamquam vero mihi videor hujusmodi cogitationibus vestris plenissime satisfactorius, si dixerò me ad scribendum supremi Antistitis, NICOLAI ANTONII SCHIAFFINATI olim Neapolitanæ S. Joannis Congregationis, nunc universi Ordinis vigilantissimi Præfulis auctoritate fuisse compulsus; quod nullus æquus æstimator reprehendet in homine vinculis juramentorum obstricto: credo tamen ideo vigilantissimum Præfulem in me animum convertisse, quod viri exercitatissimi opus aut minus elaboratum, aut brevi absolutum nunquam prodire paterentur in lucem, vel prima fortassis divinarum scientiarum rudimenta publici juris facere minime dignarentur, sublimioribus studiis addicti, moliendisque duntaxat summæ eruditionis voluminibus. Cum itaque temporum angustia cogerent, atque ageretur tantum de Tironibus erudiendis, neque essent opuscula ista Eruditorum manu terenda; scribendi onus impositum mihi est, obscuro scilicet homini, cujus fama periclitari non posset, eo forte consilio, ut his additis incitamentis viri illi doctissimi ac celeberrimi perpolitum aliud Theologicum Opus aggrederentur, quod nullatenus morosi Critici fastidirent, atque cum uberiori proventu repeterent Candidati. Neque ab instituto detertere nos potuit mag-

na illa multitudo Scriptorum, qui de rebus Theologicis accurate, ornateque differuerunt: quippe non omnia, quæ conscribuntur in manus incidunt singulorum; & perutile est de eisdem quæstionibus plures à pluribus libros perfici, quibus, si fieri potest, etiam ad negligentiores veritas aliquando perveniat, quemadmodum initio magni Operis de Trinitate, & in libro de unico adversus Petilianum Baptismate scite beatissimus Augustinus admonuit. Urget præterea, torporemque nostrum vehementer excitat numerus ille Scriptorum, ex quo & sententiæ complures spargi cœperunt adversus instituta Majorum, & plura exorta fuerunt quæstionum genera, quæ veteres prætermiserunt Scholastici, nunc autem dedecus est ignorari. Quæ cum ita sint, non abs re factum puto, si Theologicas Disciplinas ex Antiquorum placitis, studiisque Recentiorum complexus fuero, in quibus nova simul ac vetera proferantur; omniaque ad certa principia, duce præsertim & facem præferente Augustino, quantum poterit imbecillitas ingenii mei, revocavero. Aequo igitur animo labore hoc nostro, Juvenes, unusquisque vestrum fruatur: navate operam Theologiæ; id vero quanta animi voluptate, & qua ratione facere debeatis, quantum denique, si feceritis, gloriæ decorisque possit vobis ipsis accedere, non rhetoricorum pompa verborum, sed hortatoria dicturus sum oratione.

Non illam vobis propono, Augustinianæ Doctrinæ Cultores, percipiendam voluptatem, quæ in omni sensu implicata penitus infidet, & majores partes animi à virtute detorquet, sive quam maiorum escam Plato appellabat, Tullius vero decoris labem; atque illecebram turpitudinis; sed quæ interiorum hominem, mentem scilicet rationalem honestissima suavitate perfundit, & maximum habet cum virtute commercium; explet autem insatiabilem in cognoscendis rebus ardorem, animumque incommutabili bono conglutinat. Istud quidem manifesta veritatis contemplatione, atque indissolubili perpetuoque nexu in cælesti Jerusalem possidendum, multimodis nos allicit ac demulcet: at nulla est in hac mortalium peregrinatione, si una excipiat Theologia, tam excellens facultas, cujus ope humana ratio luce divina illustretur, & consortium quodammodo habeat supernæ felicitatis. Memineritis, opinor, quanta inviti etiam ac reluctantes legeritis sub ferula Grammaticorum poetarum figmenta; nec prorsus ignoratis quam anceps sit, contentiosa, & per anfractus discurrens scientia illa, cui novissimam dedistis operam, nimirum Physiologia. Proh quanta animi ægritudine in literarium ludum urgebamini adolescentuli, memoriæ mandantes plenum armatis equum, incendium Ilii, errores Aenææ, amorem Didonis, Creusæ umbras, atque fabellas hujusmodi plurimas; de quibus legentes moerentem fletum, ac verba Augustini, (*conf. 1. cap. 17.*) Ita ne aliud non erat, ubi exerceretur ingenium meum? optime percipietis quale vos traxerit aspersum felle

felle atque amarissimum blandimentum. Posteaquam vero accessistis ad Philosophicas Institutiones, ut mittam barbarissimos latinitates, & torquentes ingenia complexiones technasque Dialecticorum, quæ neque nos, veluti testa odorem quo recens imbuta est, provecta jam ætate abjecimus; quid vobis, quæso, aut certitudinis, aut jucunditatis attulerunt Categoriæ Aristotelis, Platoniorum archetypi, Epicuri atomi, Cartesii elementa, atque alia complura, scitu quidem aliquo modo necessaria, sed innumerabilibus controversiarum ambagibus implicata? Nunc autem his omnibus ad naturæ opera investiganda improbo labore comparatis, en vobis profero incommutabilem veritatem, Deum Unum, Deum Trinum, Deum Conditorum universorum, Deum Largitorem gratiarum omnium, Deum humani generis Reparatorem, Deum, inquam, Deum, in quo bonitatis ac sapientiæ thesauri inveniuntur absconditi. Profecto si ratione, atque experimento comprobatis scientias cæteris præferendas esse jure meritoque arbitramur, quemadmodum Mathematicas firmis innixas definitionibus, exploratisque theorematibus, anteponimus Physicis, ac logicis Institutionibus, quarum illæ circa sensuum ministeria versantur, hæ autem circa humanæ mentis idola; longe supra cæteras se extollunt Theologicæ meditationes, quibus non traduntur Cræcorum Philosophorum inventa, non corporum generationes, non pugnae elementorum, non sensibilibus facultatum officia, non quantitatis proprietates ac dimensiones; sed mysteria gentibus abscondita, impervia sensibus, immutabilia, spiritualia, divina; eaque Prophetarum vaticiniis, revelatione Spiritus sancti, statutis Ecclesiæ, testimoniis Patrum, & certitudine miraculorum apertissime confirmata. Quamobrem nullam ex universis naturalibus humanisque scientiis, quantam ex una Theologia, potest rationalis homo percipere voluptatem, siue res ipsa spectetur, & inconcussa atque exploratissima veritas, siue præceptionum, aut locorum, unde argumenta deducuntur, perspicui fontes, ac regula stabilis & immutabilis. Neque vero spiritualium æternorumque bonorum ubertatem & copiam ostendunt Theologicæ disquisitiones ad excitandum inutile desiderium, & quasi ad animum excruciantum. Sit hæc miserrima aliarum scientiarum conditio, ad ea, quæ consequi non possumus cupiditatem accendere, aut de iis, quæ si adipiscamur, deteriores efficimur, laboriosa exercitatione differere. Perpauci enim minimam partem assequuntur bonorum, quæ in rerum creaturarum complexu à natura ministrari demonstrat Philosophia; omnesque econtra temporum vicissitudini subiciuntur, & properant ad interitum, humana duntaxat investigantibus teterrimum & miserandum. Verum Theologi in Deum, qui simul & via & veritas & vita est, animum intendentes non solum ubi perennis felicitas sita sit non ignorant; verum etiam planissimum rectissimumque, quod arripiant iter agnoscunt, discernentes a superstitione religionem, ab hæresi fidem, à

Satanæ conventu Ecclesiam Catholicam, à mercenariis pastores, à morum corruptelis regulas probitatis; ut non possint, nisi summa pervicacia reddantur rebelles lumini; extremam subire calamitatem. Itaque, lectissimi Adolēscētes, cum nihil tam honestum ac sanctum, tam gratum ac perjucundum in hac mundanarum rerum varietate possit excogitari, quam accedere ad beatissimam illam vitam, quæ in contemplatione consistit; bene ac sapienter exclamabat in commendationem sacræ doctrinæ eximius Ecclesiæ Doctor Hieronymus, (*Epist. 155.*) Quid hac voluptate jucundius, qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, & in abdita ejus intrare, & sensum Creatoris inspicere, & sermones Domini, qui ab hujus mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientia spiritali? Cedat, cedat Theologicis contemplationibus consideratio naturæ, quam Cicero dixit animorum ingeniorumque pabulum: cedat inspectio astrorum, cui deditus Ptolomæus putabat se pedibus contingere sidera, atque attolli ad consortium Deorum: cedat conviviorum apparatus, cedat divitiarum opulentia, cedat corporum forma, valetudo, & integritas, cedat honoris splendor, decorisque amplitudo: cedant denique quæcunque alia tam animi, quam corporis oblectamenta.

Sed audio quosdam hætenus dictis repugnantes in me verba contorquere, propterea quod nullus Scholasticis honor soleat ætate hac nostra deferri, ipsaque Theologica studia permultis adeo videantur aspera, ut quæ tædio affecti compendiosis notis, sparsisque lacunis dictante Magistro scriptitarunt, ea blattæ tineæque corrodant. Hos paullulum aloquar, opus est. Ergone ex ipso veritatis fonte, quem vobis attingere singulari Numinis providentia datum erat, ad cisternas dissipatas, quæ salubres aquas continere non valent, atque à sacrarum literarum consortio, vel ad temporalium rerum administrationem, vel ad vitam otio & languore torpentem, tandem animum convertistis? Ergone fuit literarii certaminis vestri meta commodiorem agere vitam, præesse cæteris, laureæ ornamenta capeßere, & ampliori nomine celebrari, ita ut post tam miseram compensationem virtutis, unusquisque vestrum, quasi accepto bravio, stadium percurrere in posterum detrectaret? At non ista me hercle sunt, de quibus Præco divinus inclamat, Currite ut comprehendatis. Nam qui habitat inaccessibilem lucem, ipse requirentibus veritatem merces est, nec aliis, nisi iis, qui fuerint mundi corde, & humiles spiritu, repromissa. Accepimus, spectatissimi Adolēscētes, cur isti queruli supernarum veritatum jucunditatem minime degustaverint; ideo nempe, quia superbia tumidi, noxiisque irretiti cupiditatibus, non ipsam sapientiam revera meditentur, sed res illas mortalium, in quarum affluentia deprehendit Ecclesiastes vanitatem, & spiritus afflictionem. Atque hoc erat, de quo initio orationis vos commonefaciendos esse putavi, quando me demonstratu-

straturum dixi, qua ratione danda sit opera Theologicis Disciplinis. Quum etenim harum notitia melior sit cunctis pretiosissimis, neque omne desiderabile possit ei comparari; profecto turpe est disciplinas ipsas postponere humanæ vitæ solitudini; magis turpe illas temporis progressu deferere; turpissimum vero non incommutabilis veritatis, sed quæstus vel ambitionis causâ easdem appetere. Rectissimum propterea, quisquis ad Theologiam accedit, sibi finem proponat: inquirat cælestia; terrena contemnat: ad fores sapientiæ quotidie vigilet, neque abjiciat eam, cum invenerit. Quotidianæ lectioni preces præmittat: Deo, quidquid didicerit, gratias referat: caveat ne scientia absque charitate animum inflando ipsum reddat insipientibus deteriore. Hoc erga Auctorem omnium servato fine, modum etiam in cæteris teneat: præscriptam a Præceptore methodum non immutet: disputationibus assiduus intersit: fugiat rixandi libidinem, & puerilem ostentationem decipiendi adversarium. In usu facultatum, quas sibi sedulo comparavit, tale studeat servare temperamentum, ut eloquentiam non affectet, vitet tamen orationis barbariem: utatur logicis potius ac metaphysicis institutionibus, quam traditis in Scientia naturæ: argumentationes autem neque sophistice perstringat, neque rhetorice exornet. Animadvertat præterea magno sibi futuras esse adjumento Hebræicas Græcasque literas, quarum notitia planior redditur Scripturæ sensus, refellitur Judæorum pervicacia, detegitur hæreticorum calliditas, percipiuntur Veterum dogmata, & controversiæ innumeræ dirimuntur. Interdum quippe pendet ab una dictione quæstio universa; quemadmodum, ut ex multis producam exemplum aliquod, interpretatio vocabuli *Siloh* demonstrat an ad Messiam spectet Jacobi vaticinium, *Alma* an Virgo sine maritali complexu peperit, *Emmanuel* an sit una in Christo persona: sæpenumero aut suffixum, aut punctum, aut litera pædagogica omnem tollit dubitationem, ut contingit in hujusmodi disputationibus, An primus homo fuerit sepultus in Hebron, an Diabolus verum serpentem assumpserit, an Messiae pedes ac manus fuerint transfigendæ: frequenter uno Græcorum articulo explodimus cavillationes hæreticorum, pugnantes præsertim pro Verbi divinitate, & pro subsistentia Spiritus sancti, Impossibile est etiam, ut antiquas hæreses insectemur, nisi perdisceamus quid sit Omoousion, quid Hypostasis, quid Theotoxos, ut prætermittam alia vocabula Græcorum quamplurima: imo qui cum Latinis tantum versabitur, etiam nomina sacrorum librorum ignorabit, Geneseos, Exodi, Deuteronomii, Paralipomenon, Evangelii, Apocalypsis; quid plura? ipsius, quam tradimus Theologiæ, & scientiarum reliquarum etymologiam, nominisque rationem. Igitur perutilem esse Theologo utriusque linguæ notitiam nemo jure negabit. Idem de Ecclesiastica Historia judicium ferendum est, nisi hanc magis etiam necessariam æstimare velimus: historiâ enim, paucis exceptis parabolis, vetus Testamentum comprehenditur: histo-

riam vitæ, ac mortis reparatoris nostri enarrant Evangelistæ: ex historia Religionis Christianæ dignoscitur institutio & progressus: historiæ commemorant profligatas hæreses, & confirmatas Majorum traditiones in Synodis Oecumenicis: in historia demum recondita sunt omnia fidei nostræ præclarissima monimenta. At quoniam historiam universam memoriæ mandare est impossibile, neque tempus superest statutis studiorum vestrorum annis pervolvendi Eusebium, Socratem, Theodoretum, Evagrium, Baronium, aliosque in hoc argumento percelebres; conscriptis industria vestra brevissimis catalogis, quorum unus enumeret sacros libros eorumque argumenta, alter supputet per Epochas sæcula, tertius tradat seriem Romanorum Pontificum, quartus celebriorum Conciliorum, quintus sanctorum Patrum, postremus Hæreticorum, qui ad hanc usque ætatem vexarunt Ecclesiam, aliquam saltem sacre Historiæ Epitomen perlegere minime negligatis. Sint vobis usui pro conficiendis catalogis accurati recentiores, Petavius, Pagius, Schelestratus, aliique complures, non quidem singuli, sed unus, aut alter: atque Historiæ compendium eligite, quale olim ad quartum usque sæculum protraxit Severus Sulpitius, ac postea ad ætatem nostram Bosluetius. Interim compilatas ab Heterodoxis Historias, in quibus latet anguis in herba, prorsus abjicite; etiamsi audiat non absque laude celebrari Centuriatores, Basnagium, Clericum, Usserium, Caveum, & cæteros hujus furfuris: hos omnes disciplinis jam imbuti tanquam hostes adite, expugnite, refellite, extrahite ex ipsis visceribus viperarum adversus venena medicamentum. Præter hæc universim dicta, ut palam fiat quam solemniter mentiatur Antonius Charlas, dum in sua Parænesi de omnibus sacrorum Virorum Ordinibus ausus est indiscriminatim pronuntiare, quod Theologia in Monasteriis tradita longe ab eruditione Ecclesiastica distare solet, multique Theologiæ Professores se in Ecclesiasticæ antiquitatis studio peregrinos monstrarunt; vos saltem, Adolescentes optimi, in singulis fidei controversiis expendite priori loco sacras literas additis Catholicorum interpretationibus, consulite traditiones Apostolicas, exquirite Ecclesiæ definitiones, examine testimonia Patrum, attendite verborum omnium scopum ac sensum, probate communes Theologorum assertiones: atque hæc vestra propugnacula sint; non mentis figmenta, non fallaciarum structura, non jejuna, vel spinosa ratiocinatio. Pugnantia Scholarum placita versate cum ingenii moderatione: parum vos exerceant Veterum quodlibeta: sive Aristoteles dixerit, sive Socrates, sive Plato, vera tantum probate: ante Interpretum Commentaria scrutamini textus Auctorum, sæpenumero magis, quam sint aliorum Interpretamenta, perspicuos. Hæc vobis monita præscribo; reliqua vos ulla, atque experientum docebit.

Dummodo studia vestra his præceptionibus dirigantur, firmissimam

simam habeo spem, fore ut aliquando consequamini ampliora Or-
 dinis munera, Ecclesiasticas dignitates, atque in literaria Republica
 nomen honestissimum & celeberrimum. Convertite, quælo, oculo-
 los in peristylli, gymnasiique parietes, & paullulum contemplamini
 pictas Majorum imagines, necnon ea, quæ iis apposuit Curtius, aut
 Pamphilus, Epigrammata. Refert hæc tabula Romanum Aegidium
 Bituricensium Antistitem, quo post Augustinum neminem plura,
 neminem accuratius scripsisse affirmat Sabellicus, ac tantæ auctori-
 tatis & doctrinæ virum, ut illum adhuc viventem Generalia Comi-
 tia Florentiæ habita Scholarum nostrarum Ducem elegerint. Pro-
 ximus est Gregorius Ariminensis, quem nullus veterum Scholasti-
 corum in Augustini lectione superavit, ut recte Norisius, Macedo,
 Deschampsius, aliique plurimi contestantur. Exhibent tabulæ reli-
 quæ Thomam de Argentina, Gerardum Senensem, Paulum Vene-
 tum, & Scholasticos alios innumeros, quorum scripta dignis, plen-
 isque laudibus celebrantur. Inter istos vero illi maxime, qui ad
 exercitationes Scholasticas addiderunt peritiam linguarum, eloquen-
 tiam, historiam, ac multiplicem eruditionem, non solum inter
 Nostrates, verum etiam inter viros cujuscunque Ordinis celebri-
 res laudibus splendidissimis cohonestantur. Quis enim non conge-
 rit laudes omnes in Onuphrium Panvinium, quem alii helluonem
 Antiquitatis, alii Fastorum Conditorem, alii Romanæ & Ecclesia-
 sticæ Historiæ Patrem appellant? Quis amplissimis præconiis non
 exornat Aegidium Canisium decus Purpuratorum Patrum singulare,
 à Jovio, Sadoletto, Bembo ob poesim, solutamque orationem ma-
 roni ac Tullio comparatum, declaratumque publicis Leonis Deci-
 mi testimoniis hominem egregium atque dignissimum? Quis glo-
 ria & prædicatione non effert Hieronymum Seripandum Cardina-
 lem amplissimum, ac in Tridentino Concilio Apostolicæ Sedis Le-
 gatum; qui, ut Donius scribit, linguæ Græcæ & Hebraicæ, ac di-
 vinarum, humanarumque scientiarum cognitione ad miraculum
 imbutus in se omnium admirationem convertit? Quis ad sidera us-
 que non extollit inclytum & percelebre nomen Henrici Car-
 dinalis de Noris, Augustinianorum librorum Vindicis strenuissimi,
 suorum obtrectatorum invicti debellatoris, reconditarum Historia-
 rum Scriptoris accuratissimi, & posteriorum Chronologorum
 omnium Ducis ac Principis? Christianum etiam Lupum ob Mora-
 lium doctrinarum gravitatem ac pondus, ob illustratos sacrorum
 Conciliorum Canones, ob historicarum Dissertationum copiam at-
 que præstantiam quis non laudat, non prædicat, non commendat?
 Hi quidem, & qui brevitatis gratia prætermittuntur silentio, tan-
 tam adepti sunt gloriæ Lucem atque amplitudinem, eoquod Scho-
 lasticam Theologiam bonarum artium societate honestarunt, pere-
 grinas linguas excoluerunt, lustrarunt vetera monumenta, rudera
 quoque contractosque lapides pervolunt. Fateor non omnes
 tali ingenio ac fortuna præditos esse, ut possint ad horum doctri-

nam & decora, adhibito etiam omni conatu, pertingere: sed qui parem ipsis dignitatem non assequetur, aliquam saltem, nec medicrem reportabit; si nullam prorsus arripiet, satis illi gloriosum erit promeruisse: si nec promeruerit, honestum valde atque decorum curam omnem & diligentiam ad promerendum locasse. Monui quippe, atque iterum moneo, non esse solam hominum existimationem, & cumulatam honoribus famam sapientiæ virtutisque mercedem: sapientia ipsa suimet corona est, & scientiarum omnium, quæ sunt participationes veritatis æternæ, ipsa veritas præmium ac retributio. Porro hæc merces rependitur iis omnibus, qui bene utuntur distributis à Deo talentis, sive decem, sive quinque, sive duo tantum acceperint; illique soli remuneratione frustrantur, qui unum sibi collatum tenent pigritia atque inertia reconditum in sudario. Fruuntur supernæ veritatis luce ex magni Augustini discipulis, non tantum Prosper hæresis Semipelagianæ devictor, Fulgentius Propugnator divinæ gratiæ, & profligator Arianorum, Thomas Præfatum & Concionatorum Exemplar, aliique inter Divos relati, & literis æque ac sanctitate conspicui; verum etiam permulti ex ordine illorum, qui ad cathedras regendas inepti è Schola exierunt instructi saltem, ac parati ad reliqua Religiosæ vitæ exercitia. Verum in tanta sanctorum Virorum multitudine nullus prorsus poterit connumerari, qui Superiorum nutu inter studentes cooptatus propter pigritiam aut ignaviam sacrarum disciplinarum studia neglexerit. Quæ cum ita sint, vos spectatæ indolis Juvenes oro, atque obtestor, ut si quis vobis inest felicitatis amor, si quis scientiæ ardor, ac stimulus honestatis; in Theologicas veritates omnem ingenii facultatem intendatis, additoque sacræ eruditionis ornatu exhibeatis vos dignos Augustini discipulos, athletas fidei, Evangelii ministros, atque hostes acerrimos hæreticorum. Ad hanc rem libros istos conscribere iussus causa duntaxat vestræ utilitatis superavi metum consequentis laboris; vosque demisse precor, ut fraterna charitate quicquid vobis profero excipiat: si quid erit perutile, Deo primum, deinde Augustino referatis acceptum; errores autem mihi illorum auctori æquo animo condonetis. Ad te denique supplex accedo, Pater ac Magister omnium optime, *AURELI AUGUSTINE*, pro me, hisque adolescentibus sacra doctrina imbuendis patrocinium tuum enixe deprecaturus. Te optimum Fidei Magistrum, Legis Oraculum, Ecclesiæ auctoritatem ac Ducem, splendidissimum scientiæ solem, munitiorem contra hæreticos partem, Doctorem omnium sustentaculum, Pontifices, Patres, Theologi, universi demum fideles proclamant. A Te profligatas quascunque hæreses, productas in lucem veritates fidei Catholicæ, firmisque & invictis rationibus solidatas, declarant Constitutiones Romanorum Pontificum, definiunt Oecumenicæ Synodi, testantur totius orbis Episcopi. Verbis præsertim tuis Sententiarum libri, in quos tot Scholastici Commentaria ediderunt, fuere conscripti, iisdem fabricati

cano-

canones Conciliorum, ex iis depromptæ Scripturarum sanctarum perspicuæ & dilucidæ expositiones. Etiam si tui, Præsul ac Pater sanctissime, non essemus, cum absque ulla dubietate doctrinam tradideris sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam, & nullus doctorum abstrusa quælibet diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, robustius defenderit, effusius disseminaverit; postularet æquitas ipsa, ne alium in Scholarum nostrarum columnen, ac præsidium præeligeremus. Nunc vero, quoniam Tui sumus, impellit nos præter æquitatem filiorum necessitudo, atque in tui clientelam trahit etiam amor ac pietas. Ex illa itaque beatorum Spirituum patria, ubi præfulges inter Doctores Ecclesiæ tanquam sol rutilans inter sidera, dirige me scribentem; & pro ea gratia, quam in te pusillimum magnis miramur, quid tenere debeam ostende. Theologicis studiis addictos, quibus decretum est Te suspicere, colere, tuaque dicta quasi propria defendere, omni charitate ac benevolentia prosequere; & excubante pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, Eremitanam Familiam paterno, & singulari amore complectere.

